Theses utriusque juris.

Numéro d'inventaire : 1980.00012.35
Auteur(s) : Nicolas François Peyraud
Type de document : affiche
Éditeur : non renseigné (Reims)
Imprimeur : Ballard
Période de création : 3e quart 18e siècle
Date de création : 1764
Description : Une feuille, découpée dans une affiche plus grande, de sorte que l'estampe est manquante. Le découpage est irrégulier. Les bords sont brunis et froissés. Une date à l'encre au verso.
Mesures : hauteur : 298 mm ; largeur : 338 mm
Notes : Affiche annonçant les thèses de droit civil et de droit canon que doit défendre, pour l'obtention de la licence Nicolas Peyraud, prêtre, le samedi 28 juillet 1764, à Reims. Les articles de droit civil traitent des recouvrements et privations de biens. Les articles de droit canon portent surles règles de parrainages pour la nomination des prêtres.
Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics
Filière : Université
Niveau : Supérieur
Autres descriptions : Langue : Français
Nombre de pages : 1

THESES UTRIUSQUE JURIS.

EX MATERIA SORTITO DUCTA.

CANONICI.

Ex Cap. *Consuluit* 15. Extrà. *De Jure Patronatûs.*

I.

AD remunerandam provocandamque fidelium liberalitatem, jus patronatûs Ecclesiarum fundatoribus benigne concessum est, quod ipsis & eorum heredibus fundatione ipsâ, absque speciali retentione competit.

II.

CONSISTIT jus patronatûs in honore, onere & utilitate. Honor præcipuus est, ut, vacante Ecclesiâ, patronus clericum præsentet ab Episcopo instituendum; onus, ut Ecclesiam tueri ac defendere teneatur. Utilitas, ut egenti debeantur alimenta.

III.

FUNDATIONIS porro nomine non sola fundi datio intelligitur, sed & ædificatio, vel dotatio Ecclesiæ, adeo ut si unus fundum dederit, alter construxerit, tertius Ecclesiam dotaverit, tres sint patroni, qui vel simul, vel alternis præsentent vicibus præsentent.

IV.

DIVIDITUR jus patronatus in Ecclesiasticum, laicum & mixtum: Ecclesiasticum clerico competit ratione Ecclesiæ. Laicum competit tam clerico quam laico, ratione patrimonii. Mixtum competit corporibus mixtis, civitatibus nempè, vel academiis.

V.

PATRONO Ecclesiastico dantur sex menses ad præsentandum: sed variare nequit, potestque à Summo Pontifice præveniri. Patronus laicus debet præsentare intra quatuor menses, sed variare potest, nec timet præventionem. Mixtum jus patronatûs quod in utroque optimum est sibi vindicat.

VI.

IN collegiatis aut conventualibus Ecclesiis non præsentat patronus ad prælaturas, sed iis per viam electionis prospicitur, nisi forte in ipsâ fundatione sibi jus nominandi prælati reservaverit; huicque retentioni accesserit Episcopi consensus.

VII.

VENDI per se ac seorsim non potest jus patronatûs, cum sit spiritualibus annexum: vendito tamen fundo cui cohæret, transit in emptorem cum universitate fundi, accessionis jure, nisi tamen retentum fuerit à venditore, quo casu naturam mutat & ex reali fit personale.

VIII.

NON confert patronus Ecclesiam; jus tantum tribuit præsentato, ad obtinendam ab Episcopo institutionem, quam hic recusare non potest, nisi justâ de causâ, præmisso examine, illum resciverit minùs idoneum.

IX.

COLLATIO beneficii, spreto patrono, facta ipso jure nulla est: sed non potest patronus seipsum præsentare; debet quippe esse distinctio inter præsentantem & præsentatum. Filios tamen suos aut nepotes præsentare non prohibetur.

CIVILIS.

Ex Lege *Emptor fundi* 8. Cod. *De Evictionibus.*

I.

NATURALE est ut illi omnes qui rem habere licere præstare debent, maximè verò venditores, de evictione teneantur; & ut in eos tanquam in auctores evictâ re, detur regressus.

II.

EST autem evictio, possessionis jure judicioque facta nobis ablatio: non itaque res intelligitur evicta nisi ablata sit & abducta possessori sententiâ judicis.

III.

RE evictâ emptor adversùs venditorem, actione duplici potest experiri, actione scilicet ex empto, in id quod interest, rem evictam sibi non fuisse; & actione ex stipulatû in duplum.

IV.

ACTIONEM empti habet emptor ex ipso contractû emptionis-venditionis, & ipso jure actio illa competit: actio ex stipulatû in duplum, non alias competit, quam si stipulatio duplæ fuerit interposita.

V.

STIPULATIONE duplæ etiam non interpositâ, si id actum sit ut dupla promitteretur, emptori agenti ex empto, venditor tenebitur, re non evictâ promittere duplam, evictâ re, duplam solvere.

VI.

POTEST emptor eligere utrâ malit actione experiri, actione scilicet ex stipulatû, aut actione ex empto, nec enim utrâque potest agere, cùm ambæ sint rei persecutoriæ, & altera alteram consumat.

VII.

INTER utramque actionem latum est discrimen, per actionem ex stipulatû duplum tantùm pretii ab initio constituti petere potest emptor; nec crescit aut minuitur actio hæc ex subsequentibus causis.

VIII.

ACTIO empti rei fortunam sequitur, & actione illâ, id omne persequitur emptor quod suâ interest & cùm bonæ fidei sit, ratione accessionum potest crescere vel minui comdemnatio.

IX.

VERUM ut emptor evictionis nomine possit adversùs auctorem suum agere necesse est, ut motam sibi controvertiam ipsi denuntiaverit, ut judicio ad sit, & rem deffendat.

Has Theses ex utroque Jure, Deo duce, auspice Deiparâ & præside Cl. V. D. PHILIPPO LALOURCEY, *J.U.D. Antecessore & Quæstore, tueri conabitur* NICOLAUS FRANCISCUS PEYRAUD, *Presbyter Lemovicensis, Canonicus Regularis Congregationis Gallicanæ, Baccalaureus, die Sabbati* 28 *Julii, anno Dom.* 1764. *à quintâ ad octavam.*

Aderunt cum jure suffragii sorte ducti Clar. D.D Bouchaud, Sauvage, Boyer, Saboureux, Deferriere, Hulot.

PARISIIS,

IN RHEMENSI JURIS AUDITORIO.

PRO LICENTIATU.

Apud CHRISTOPHORUM BALLARD, Consultissimæ Facultatis Typographum; viâ Nucum.